



v<sup>o</sup> 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.


N. VI. 49.























I. N. 7. A.  
INTRODUCTIONIS AD LOCOS  
Theolog. B. Chemnitii,  
*DISPUTATIO I.*

Ex quâ  
*De*

LOCORUM THEOLOGICI-  
CORUM ANTIQUITATE  
ET ORDINE,

*Præside*

JOH. BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.  
Licentiato, Profefs. Publico & ad D. Thomæ  
Ecclesiaste;

*Respondente*

M. GODOFREDO ANDREÆ Ilebergô Misnico,  
& Ecclesiæ Bornensis Diacono  
designato;

XXIX. Decemb. Anni 1647.  
*disputabitur.*

---

LIPSIAE,  
Typis HENNINGI CÔLERI.



INTRODUCTIONS AD LOGOS  
Theolog. & Chemnitz  
DISPUTATIO I.

LOGICAE THEOLOGICAE  
CORSUM ANTIQVITATE  
ET ORDINE

JOHANNES MEDICUS CARPZOVVS  
Theol. & Publicus & D. Thomae

M. GODEFRIDUS ANDREAE HILBERS  
in Paderborna & Paderborna  
1717

1717  
Typis Henrici Costii







I. N. J. A.

# DISPUTATIONUM ISAGO- GICARUM,

## PRO O E M I U M.



Inter cætera monumenta, quæ  
*B. Chemnitio acerrimi iudicii & doctrina ex-*  
*quisitissima Theologo*, cœlestis doctrinæ as-  
sertores, omni tempore laudabiliter posue-  
runt, non postremum occupat locum, per-  
petua ejus scriptorum veneratio, & ad stu-  
diosam juventutem, ad hæc usque tempora,  
continuata commendatio. Nemo est,  
qui non, unde profecisset, ingenuè hic fuerit confessus, & com-  
muni huic Præceptori, grata ejusdem recordatione, didactrum  
solverit, suosque & imprimis Theologiæ sacræ Consecraneos ad  
hujus Viri scripta, tanquam ad promptuarium puræ & orthodoxæ  
doctrinæ, ablegarit. Factum hinc, ut *Chemnitii* scripta in  
*Academicis exercitiis* præ cæteris observata fuerint, semperque  
digna habita & æstimata, in quibus terendis multum operis ac  
laboris consumeretur. Pro se & de se loquantur *alia Academia*,  
quibus non desunt publica hujus rei documenta; prostant in  
*Wittebergensi*, *Disputationes B. Gesneri pro Examine Concilii Triden-*  
*tini scriptæ*: In *Marpurgensi*, *Repetitio Locorum B. Mentzeri*; de no-  
strâ, ingenuè hoc nunc confitemur, *Chemnitium* utramque pagi-  
nam semper in eâ fecisse, & nobiscum id confitentes habemus,  
omnes illos, qui *B. Senioris Theologi Dni D. Heinrichi Höpfneri*, piæ  
& accuratæ informationi, post Deum sua debent, ac hęc nomine  
nunquam Viri hujus memoriam deponunt. Neminem enim  
nostrum latere potest *Zelus* ille ac industria, quâ *Studiosæ Ju-*  
*ventuti Chemnitiana* scripta commendare solebat, & eo ipso ca-  
vere,

A

vere,



vere, ne unquam ex manibus deperirent: Nec unquam ex  
 memoria decideret assiduus labor ac studium, quod impen-  
 debat in enucleandis ac explicandis scriptis Chemnitii to-  
 ties, quoties in rectæ fidei explicatione & iusta ejusdem vin-  
 dicatione, suos exercere volebat. Hujus Præceptoris incom-  
 parabilis & celeberrimi, vestigia persequi dum conor, & apud me  
 constitutum est, Exercitia Disputatoria, quæ cum S. Theologiæ  
 Consecraneis pro ratione muneris mihi concrediti instituere so-  
 leo, ad Chemniciana scripta revocare, non abs re & commodo  
 me facturum fore existimavi, si *Isagogen ad Chemnitiana scripta*  
 ex illis ipsis scriptis conficerem, eamque Autoris methodo certis  
 theorematis complecterer, ut sic in promptu haberet Studiosa Ju-  
 ventus subsidia, quorum ope in ipsa Chemnitii scripta penetrare,  
 inque suam rem ac usum eò feliciter ea convertere posset. Ab  
*Examine Concil. Trident.* initium sumere constitueram equidem,  
 quando verò quorundam Studioforum in Locis Theologicis  
 prius exerceri cupientium, sollicitatio intervenit, mutavi consi-  
 lium, & à *Locis* exordior, quos adhuc superstite *Philippo in Aca-*  
*dem. Wittebergensi* scripsit, & postea *Brunsviga* ordinariis par-  
 tim lectionibus, partim etiam privatis lucubrationibus dilata-  
 vit & locupletavit. *Rogamus autem devotâ mente ac pectore Deum*  
*nostrum in nomine Filii Jesu Christi, ut per Spiritum sanctum suum*  
*etiam hisce Studiis ac conatibus nostris præsidere velit, & vires ac fa-*  
*cultates, nobis non concedere modo, sed etiam easdem ita fulcire ac ser-*  
*vare, quò feliciter studium hoc ceptum emeriamur ac decurramus ad*  
*nominis sui gloriam, assertionem & propagationem veritatis & Stu-*  
*diosæ Juventutis largam ac copiosam messem.*

## DISPUTATIO I.

De

## LOCIS THEOLOGICIS

in genere.

*B Chemnitius indecorum æstimans, si à veteribus, locorum*  
*Theologicorum expositionem aggredieretur, prius per aliquot*  
*paginas de Locis Communibus in genere quædam dicere & exponere*  
 voluit.



voluit. Omnia autem illa, ad tria reduci possunt capita, quorum  
(1.) de antiquitate & perpetuo Locorum Theologicorum usu in Ecclesia  
agit. (2.) de eorundem divisione, (3.) de singulorum Locorum tra-  
slationis modo & cautelis in eorum enarratione, observandis.

## CAP. I.

### De Locorum Theologicorum antiquitate & perpetuo Usu in Ecclesiâ.

I. Loci Theologici non sunt novum Inven-  
tum, sed Ecclesia ab initio, usque ad hæc tempora,  
usum hujus generis scriptorum magnoperè ne-  
cessarium esse judicavit. p. 20.

§. 1. Vox *Locorum Theologicorum* à Physicis accepta est, & non  
spacia corporum aut superficiem corpora ambientem, sed certa  
Theologicarum rerum capita, classes, ac articulos designat, in quos  
omnes res Theologicæ pulchrè collectæ sunt & concinnè ordi-  
natæ, ut unum ex altero pendeat, tanquam annuli in *catenâ salu-  
tis*, quod simile *Lutherus* applicare ad hanc rem solitus fuit.

§. 2. Ut enim cæteræ artes ac disciplinæ omnes, suis *Locis* gau-  
dent, in quos, tanquam sedes suas, refertur omne id, quod ad di-  
sciplinas illas quocunque etiam modò, pertinet, absque quo-  
rum ope & auxilio si est, nemini feliciter ad ipsarum disciplina-  
rum adyta penetrare licet: ita & eadem felicitas reginæ huic o-  
mnium disciplinarum non abjudicari & denegari debuit, quâ  
mediante, ordine disci & sapienter intelligi *Theologia* possit.

§. 3. Ordine tituli considerentur, verba sunt nostri *Chemnicii*  
p. 25. quibus insignita sunt scripta ea, quæ summam doctrinæ Christia-  
næ complectuntur. 1. *Symbolum*. 2. *Canon fidei*, ut *Irenæus*, & *Regula*  
*fidei*, ut *Tertullianus* vocat. Nam & postea sententiæ, quæ oppone-  
bantur erroribus hereticorum, simplici brevitate & paucis verbis com-  
prehense, ut essent commonefactiones de veris fundamentis, vocata  
sunt *Canones*. Et inde nomen illud & res ipsa in tantum postea ve-  
nit ab usum. 3. εἰσαγωγή. 4. *Elementa*. 5. κατήχουσις. 6. ἑτοιμα-  
σις.



7. Institutiones. 8. Principia. 9. Dogmata Ecclesiastica, 10. En-  
chiridion, quod nos vocamus *Locos Communes*.

II. Est hoc genus scriptorum (1.) ab ipso Deo  
initiatum, (2.) à Prophetis usurpatum, (3.) à *Johan.  
Baptista, Christo & Apostolis* renovatum, & (4.) à  
*Doctoribus Ecclesie*, usque ad hæc tempora, con-  
tinuatum.

III. Deus ipse summam, tum doctrinæ *Evangelicæ*, tum doctrinæ *Legis*, in breves sententias  
fuit complexus. p. 21.

§. 1. De *Doctrina Evangelii*, manifestum hoc est, ex brevissimis  
illis sententiis, quas ad *Adamum* Gen. III, 15. *Abrahamum* XII, 13.  
XXII, 18. *Jacobum* cap. XXIX, 14. promulgavit Deus, quibus  
tanta mysteria fuerunt involuta ac commissa, ut vivus ac perpe-  
tuus fons fuerint, ex quò omnis mysteriorum notitia emanavit;  
ac Canon & regula, secundum quam *Patriarchæ*, suas accommo-  
dârunt conciones, quando post intermissos publicos conventus,  
in nomine Domini iterum invocari cœptum fuit, Gen. IV, 26.

§. 2. *Doctrinam Legis* in duabus non magnis tabulis ipse Deus  
Exod. XXXIV, 1. XXXII, 16. conscripsit, & universam doctrinam  
tam pulchro ordine & tam concinnâ brevitate est complexus, ut  
omnes *Prophetæ* admirati sint istam methodum, & pii in expli-  
catione *Decalogi* unicè ad eam tanquam ad legis summam respe-  
xerint, quod imprimis ex *ultimi Prophetæ* ultimis ferè verbis *Mal.  
IV, 4.* manifestum est.

IV. *Prophetæ* etiam in præcipua capita, sum-  
mam doctrinæ totius à sese expolitæ, collegerunt;  
quæ semper populus in conspectu habere, & ad  
quæ omnia audita referre potuit ac debuit,  
pag. 22.

§. 1. Hu.



§. 1. Hujus rei vestigia in *Esaia* habemus, qui jubetur *sumere tabulam & scribere super eam stylo hominis Esa. II, 1.* ubi tūc sub-  
 jectum descriptionis, tūc ejus genus advertere licet. *Subiectum* non  
 erat liber concludendus, obsignandus & seponendus, sed *ספר*  
*סוד*, quod *ספר החתום* *Esa. XXIX, 11.* opponitur, ac significat  
 amplam membranā in cylindrum convolubilem. Prophetæ enim  
 sua vaticinia in voluminibus scribebant & instar programma-  
 tum ac intimationum publicarum, ea affigebant publicè ad valvas  
 auditorii publici seu synagogæ. *Genus* autem descriptionis signifi-  
 catur, per *ספר אנוש*, quo *Character* ad omnes homines usitatus,  
 & sermo notus, ac taliter perspicuus, qui nullis allegoriis aut figura-  
 rum involucris sit tectus, quiq; ab omnibus etiam rudissimis in-  
 telligi queat, si modò prophetiam percurrant; & etiam *brevitas*  
 ac *summariæ relatio* Prophetiæ omnibus grata, & nemini obscura,  
 inlinuatur.

§. 2. Clarus insuper textus est, qui *Hab. II, 2.* legitur, in quo  
 Dominus Prophetæ respondet ac dicit: *scribe visionem & expla-  
 na super tabulis, ut percurrat legens in ea.* Ubi *Subiectum* scriptio-  
 nis non *ספר*, nec *סוד*, sed *לוח* *tabula*, quæ appendi possunt, qua-  
 les erant istæ duæ, in quibus *lex* scripta erat *Exod. XXIV, 12.* & c. un-  
 de & *Esa. XXX, 8.* scriptio *על לוח*, & scriptio *על ספר* contradi-  
 stinguuntur. In his tabulis explanare, hoc est, explicitè ac dilu-  
 cidè scribere & velut artificiosè majusculis literis visionem de-  
 pingere debuit, sicut ex *Deut. XXVII, 8. 12.* radicis *באר* (quæ in Piel  
 non nisi tribus locis *Hab. II, 2.* *Deut. I, 5.* & *Deut. XXVII, 8.* oc-  
 currit) significatus, manifestus est, ubi jubetur Moses scribere om-  
 nia verba Legis *באר היטב* declarando benè, id est, ut *Aben  
 Ezra à P. Fagio ad b.l.* notatus, exponit: *tali scripturâ, quæ sit benè  
 distincta, benè picta & legibilis;* & quidem cum in finem, ut percur-  
 rat legens in ea, id est, ut, sicut rectè interpretatur *Chemnitius*,  
 nihil sit quod legentis intellectum remoretur. *Lutberus* vertit:  
*daß es lesen könne wer fürüber laufft; verbis* quidem *inversis*, cū  
 juxta fontes ita verti deberet: *Auff daß es durchlauffen könne  
 wer es lesen will; sed non sensu diverso aut alieno.* Significatur n.  
 ejusmodi scriptura, quæ nō moram faciat omni, qui transit tabu-  
 lam istam affixam, ut citò percurrere possit & sine mora, quisquis  
 eam lecturus est.



§. 3. Superest adhuc textus à *B. Chemnitio* etiam ex *Deut.* I, 5. allegatus. Nulla quidem tabularum fit inibi mentio, sed quia illa ipsa radix  $\text{רָבַב}$  occurrit, quæ *Hab. II, 2.* & *Deut. XXVII, 8.* ejusmodi significatum scribendi habet, prout in præcedd. allegavimus, & præterea nullibi invenitur, supplere voluit vocem *Chemnitius* ex *Habac. II, 2.* Interim notamus, textum hunc ab *Interpp.* communiter de repetitione Legis à Mose in campesribus Moab facta, & Deuteronomii promulgatione ac orali recitatione explicari.

V. In Nov. Testam. *Johan. Baptista, Christus & Apostoli* prolixas suas conciones & præcipuos articulos doctrinæ Christianæ, in brevissimam summam & paucos aphorismos redegerunt, auditoribusque suis, ut animis infixos semper circumferrent, commendârunt. p. 22

§. 1. De *Johan. Baptista* ex *Matth. III, 2.* res manifesta est: de *Christo* non minus id ex *cap. I, 15. Marci* liquet; quorum ille ita affatus populum est: *Pœnitentiam agite, appropinquat regnum cœlorum: Hic verò ita exorsus concionem: Impletum est tempus, instatq; regnum Dei: Respicite & credite Evangelio.* Atque sic totam istam concionem seu *Εὐαγγέλιον τῆς Βασιλείας Ἐδὲ*, cujus in præcedd. mentionem faciunt Evangelistæ, complexi sunt in paucissima hæc verba, ad quæ omnia referri potuerunt, quæ prolixè postea ad populum edixerunt.

§. 2. Non enim pueriliter, verba sunt *Chemnitii*, imaginandum est, quòd tanquam arreptitii, quinq; tantum illas voces ingeminârunt, sed hæc fuerunt capita omnium illarum concionum, sicut illa apud Evangelistas evolvuntur, quid de Trinitate, de peccato, de contritione, de nova obedientia docuerint.

§. 3. *Apostoli* non voce tantùm & in concionibus suis, sed etiam literis & in *Epistolis* idem cautè observârunt, ut prolixis sermonibus & *Epistolis* suis, subjungerent breviores & sententias & *Epistolas.* *Paulus*, postquam in synagoga Antiochiæ, in *Pisidia*



dia regione Asiæ minoris, sitæ, prolixam habuerat & absolverat concionem, tandem summam, caput & negocium totum, cui tot verba hæctenus indulserat, paucissimis hæc complectebatur verbis: *Notum sit vobis, fratres, quòd per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem Moysi justificari. Per hunc omnis, qui credit, justificatur Act. XIII, 38. 39.* In *Epistolis* suis triplici ratione complexus est, (ut ipsissimis *Chemnicii* verbis id exprimamus) summam doctrinæ cœlestis: 1. modo *catechetico*, tanquam in nudis articulis brevissimè, & sine prolixis probationibus & refutationibus, in *Epistola ad Ephesios*. Ita enim de prioribus hujus *Epistolæ* capitibus v. 3. 4. cap. III. pronunciat: *Scripsi paucis, ex quibus potestis legentes intelligere cognitionem meam in mysterio Christi.* 2. Paulò largiori explicatione, additis, explicationis gratia, descriptionibus, argumentis, refutationibus &c. in *Epistola ad Galatas*. 3. *Justa tractatione & explicatione* singularum partium doctrinæ, in *Epistola ad Romanos*.

VI. *Vestigia Johannis Baptista, Christi & Apostolorum*, in articulo fidei servanda pulchra commissione & locorum, quibus salutis causa breviter ac nervosè disponitur, constructione, postea fideliter presserunt *Ecclesiæ Dd.* qui insecuti sunt per singula secula. p. 23.

§. 1. Ad *primum* seculum refertur & post *Canonica scripta* primum ac principem locum obtinet illa *Synopsis veritatis cœlestis*, quæ sub nomine *Symboli Apostolici*, Orbi *Christiano* nota est. Ut suspecta nobis omninò sit fides *Gerhardi Johannis Vosii*, quâ in *Dissertatione de Symbolis Tb. XXIV. pag 20.* *Episcopo & Clero Romano* natales hujus *Symboli* defert, & *Romanæ Ecclesiæ* tribuit, quod post quartum seculum ad *Orientis Ecclesiæ* istud derivaverit. Provocamus enim cum *Chemnicio* nostro ad *Irenaum & Tertullianum*, quorum ille *secundi seculi*, hic verè *tertii* pater est, & pro *Symboli* hujus universa receptione manifesta testimonia dicunt. *Irenæus l. 1. cap. 3. fol. 20.* meminit hujus  
Sym-



Symboli tanquam fidei ab Apostolis eorumq; discipulis acceptæ,  
& ab universo orbe, etiam ab Ecclesia in Germania, receptæ, &  
*præced. cap. II.* ita recitat, ut ex eo noster *Chemnitius p. 71, 72.* citat.  
*Idem Pater l. III. cap. 4. fol. 141.* refert, quid suo tempore apud  
multas gentes Barbarorum huic Symbolo acciderit. *Hanc fidem,*  
*inquit, qui sine literis crediderunt, quantum ad sermonem nostrum*  
*barbari sunt, quantum autem ad sententiam & consuetudinem, & con-*  
*versationem propter fidem perquam sapientissimi sunt & placent*  
*Deo, conversantes in omni iustitia, castitate & sapientia. Quibus*  
*si aliquis annunciaverit ea, quæ ab hæreticis inventa sunt, proprio ser-*  
*mone coram eo loquens, statim concludentes aures longè longius fu-*  
*gient, ne audire quidem sustinentes blasphemum Colloquium.* Et addit:  
*Sic per illam veterem Apostolorum traditionem, ne in conceptionem*  
*quidem mentis admittunt, quodcunq; eorum portentiloquorum*  
*est, &c.* *Tertullianus* quoad potiores partes Symbolum hoc recen-  
set & regulam fidei salutat *de præscript. cap. XIII. f. 104. de velandis*  
*Virgin. c. I. fol. 188. adversus Praxeam, cap. 2. f. 494.* In *L. de Trinitate*  
*(si modò is Tertulliani sit)* singula Apostolici Symbolici verba  
sed quasi Commentario inserta, enarrantur. Ex hisce testimoniis  
hoc constare potest, *Symbolum Apostolicum* non ignoratum fuisse  
ab initio Ecclesiæ, quicquid sit de ejus variatione in certis mem-  
bris & articulis. Non equidem cum *Papistis* planè non ambigi-  
mus, an Apostoli etiam quoad verba formalia sua, composue-  
rint Symbolum hoc; & pro audaci pronunciato habemus  
istud *Sixti Senensis l. II Bibliotheca Sanctæ pag. 51.* *Omnes Ortho-*  
*doxos patres affirmare, Symbolum ab ipsis Apostolis conditum: ut ut*  
*temerè temeritatis propterea arguamur à Gregorio de Valentia*  
*Disp. I. in secund. secund. Thoma q. 1. pronunc. V. f. 121. Tom. III. & Ge-*  
*nebrardo l. 3. de Trin. p. 204.* Neque tamen cum *Photinianis, Ar-*  
*minianis & Anabaptistis* alibi citandis, planè istud repudiamus ac  
omnem vim obligandi in Ecclesiâ eidem derogamus: Sed me-  
diam eligimus viam, & pro antiquissimo Ecclesiæ Symbolo istud  
habemus, incerti, an *Apostoli ipsi id composuerint, an verò ex ipso-*  
*rum Concionibus & verbis formalibus id Apostolici viri consecerint.*  
Quod enim ex *Cypriano* allegat *Chemnitius p. 23.* id, uti ipse non  
obscurè indicat, *Cypriani* non est, sed *Ruffini*, quod ex stylo, con-  
ten-



9.

tentis & autoritate Hieronymi ac Genadii, probant *Magdeburg. Centur. III. cap. 10. fol. 245.* & post illos *Bellarmin. de Script. Eccles. p. 62. Rivetus in Crit. Sacri l. 2. cap. 15. pag. 238.* Quid? Ipse *Ruffinus* ita Majores tradidisse, tantum scribit, non verò ut historiam certam recitat. Nihilominus tamen *Apostolicum* appellari potest hoc Symbolum: (1.) quia ab *Apostolicis viris* & qui vivos Apostolos audierunt, ita fuit compositum. (2.) *summam* totius doctrinae Apostolicæ, ad salutem cuiusvis necessariam, breviter completitur, (3.) *verbis* non aliis, quam quibus usi fuerant ipsi Apostoli; & (4.) ab *universâ Ecclesiâ* omni tempore est receptum. Hinc nemo inter Patres fuit, qui non magnum honorem eidem detulisset & magnificis titulis istud exornasset. *Irenæo* Apostolorum ætati proximo, sub *regula veritatis, depositarii divitis, Clavis Scripturae,* nomine venit *l. 3. adv. her. cap. 4.* *Regulam fidei Tertullianus* in locis allegatis appellat: *Athanasio* est *summa fidei;* & nullibi non obvia sunt Encomia hæc & similia apud *Patres,* ut recitare illa nullâ urgeamur necessitate. Manet igitur istud *Symbolum Apostolicum, primum abbreviatum verbum,* quod ex *Scriptura Sacra,* in summa quâdam elegantissimè proponit ac comprehendit, omnia illa credenda, quæ in *Scriptura S.* proponuntur.

§. 2. *Primum Seculum* etiam sibi vendicat *Hermetis ex Rom. XVI. 14. noti, librum,* cui titulum *Pastoris* fecit, de quo *Euseb. l. 3. cap. 3. f. 29.* refert, quòd à nonnullis ei fuerit contradicendum; à nonnullis verò summè necessarius, illis potissimum iudicatus fuerit, qui elementaria introductione opus haberent. Ipsum scriptum habetur inter *Orthodoxographa* à *Johan. Jacobo Grynaeo* collecta, & *Basileæ 1569. edita Tom. II. f. 599.* & in *Bibliotheca Pp. Colon. 1618. T. 1. ad An. 100.* Sed quia teste *Tertulliano l. de pudicitia cap. 10. f. 608.* ab omni Concilio *Ecclesiarum Africanarum,* inter *Apocrypha* & falsa ac adultera relatum fuit, iisdemque id etiam *Gelasius I. circa An. C. 493. Dist. XV. c. sancti* accenset; ac præterea multa vana & falsa in eo obvia sunt, & ut *Chemnicus* noster loquitur, *frigidissime nugæ,* quòd à *Magdeb. in Cent. I. part. II. f. 57. Wolffio Centur. II. lect. memorabil. fol. 34. Riveto l. 1. Crit. sac. cap. 12. p. 180. Jacob. Cappello l. 2. d. sanct. Rom. Sed. cap. 3. p. 228. Bellarmino l. de script. Eccles. p. 34.* etiam indicatum & notatum fuit, cuilibet inde iudicare licet, quid tribuendum sit huic libro.

B

§. 3. In



§. 3. In secundo seculo compendium fidei Christiana sub Justini Martyris nomine, cui titulus est: ἐκ θεοῦ πιστῶς καὶ τῆς ὁρθῆς ὁμολογίας, habemus. Et licet multis ex rationibus ac documentis, de vero autore & ætate hujus libri dubitetur, sicuti id annotarunt *Magdeb. Cent. II. cap. 10. fol. 210.* & latius deduxerunt *Gerhard. Exeg. T. I. art. de SS. Trinit. §. 50. pag. 965. 966.* *Bellarmin. l. de script. Eccles. pag. 47.* *Scultetus in Medulla patrum, parte prima, p. 25.* *Rivetus in Critico Sacro l. 2. cap. 5. p. 203.* ipse tamen titulus (ut verba *Chemnitii* huc applicemus) præbet hanc cōmonefactionem, quam doctrinæ formam, sapiens antiquitas optimam & utilissimam esse judicavit, ut puritas verbi Domini conservaretur & ad posteritatem propagaretur. *Dionysius Corinthius* in hoc seculo *Epistolam ad Laicedamonios* scripsit, quæ *Catechesin & Institutionem Orthodoxæ religionis* & doctrinæ continebat, cujus titulus fuit, *de pace & unitate*, ut *Niceph. l. IV. H. E. cap. 8. fol. 196.* meminit. Scripsit in hoc seculo etiam *Theophylus Episc. Antiochenus* tres libros *Institutionum*, qui *T. II. Biblioth. Patrum* habentur, quorum titulus ejusmodi commissionem & expositionem articulorum fidei subinuit, qualis à nobis nunc annotatur. Notum est, inquit *Chemnit.* in quâ significatione *7 Cti* quatuor libros *Institutionum* accipiant.

§. 4. Tertium etiam seculum non caruit hujusmodi compendiis, sed ferax fuit illorum Doctorum, qui in hoc scribēdi genere desudarunt. *Clemens Alexandrinus* (ita dictus vel à loco, in quo docuit, vel ab urbe natali; quem *Magdeburg. Cent. II. cap. 10. fol. 189.* ad secundum seculum, *Chemnitius* verò noster ad tertium refert, nullo errore, cum utrumque attigerit) libros octo ἑποτυπωσεων scripsit, quos (verba sunt *Magdeb. l. citato fol. 190.*) nos possumus informationum vel dispositionum nominare, & in quibus (uti *Euseb. l. VI. H. E. cap. 12. f. 76.* notat) universam Scripturam compendiosis dissertationibus explanavit. Quamvis verò hodiè desiderarentur, & ex omnibus illis, quæ scripsit, tria tantum supersint: Meminit tamen eorum librorum *Eusebius*, præter allegatum locum *l. V. c. 10. f. 63. & l. II. c. 9. f. 19.* ubi memorabilem ex *l. VII.* historiam refert de cōversione mirabili illius, qui *Jacobum Apostolum* in judicium adduxit: Item *Hieron. in Catal. Scriptor. Ecclesiast. T. I. Opp. fol. 377.* Habemus porrò in hoc seculo *Origenem*, qui de  
recta:



recta fide librum ex amplissimis Scripturæ divinæ divitiis compositum, scripsit, cum quibus libri, quos *ἡ εὐαγγελία* de primis ac necessariis doctrinæ Christianæ, consentiunt. Prostat etiam *Lactantius Firmianus*, qui de Institutionibus suis ita ad *Constant. Magnum l. 1. cap. 1.* differit: *Si quidam prudentes & arbitri equitatis Institutiones civiles prius compositas ediderunt, quibus civium dissidentium lites contentionesque sopirent, quanto melius nos & rectius divinas Institutiones literis prosequemur, in quibus non de stillicidiis aut aquis arcendis, aut de manu conferenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, ut superstitiones mortiferas, erroresque turpissimos sopiamus.* *Gregorius Episcopus Neocesariensis, Thaumaturgus* dictus, tandem in hoc seculo brevem fidei Confessionem, quam ex revelatione B. Johan. Evangelistæ didicit, si *Baronio & Bellarmino* credimus, edidit; sicuti & *Expositionem fidei ad Elianum*, quæ à *Basilio Tom. II. Opp. Epist. LIV. fol. 47.* allegatur, multumque differt ab illâ, quam *Vossius* publicavit: cum hæc contra *Arrianos* scripta esse videatur, qui post tempora *Gregorii Thaumaturgi* demum exorti sunt. *Chemnitius* noster, huic seculo *Expositionem Symboli Apostolici* assignat, sub conditione hæc, si *Cypriani* sit. Quia verò *Cypriani* non est, sed *Ruffini*, meritò ad quartum seculum refertur, in quo *Ruffinus* vixit.

§. 5. In quarto seculo est *Athanasius*, cujus sub nomine divulgatum est *Symbolum*, quod in magno precio habetur. Et quamvis non sine causâ ambigatur à *Camerario in Catech. Græc. p. 297.* an *Athanasius* autor *γυνώσκω* sit hujus symboli: magno tamen cum consensu in Ecclesia receptum id fuit, eò, quod fidem de SS. Trinitate, quam B. Pater contra *Arrianos* egregiè propugnavit, pulcherrimè astruat & exprimat, unde & *symbolicis libris nostræ Ecclesiæ* inseri meruit. Extat præterea ejus *liber de definitionibus Theologicis*, qui liber est totius Scripturæ synopsis *T. IV. Opp. & Expositio fidei T. I. Opp.* Et quamvis de utroque etiam inter eruditos disceptetur, ac rationibus non contemnendis uterq; *Athanasio* abjudicetur, intelligimus tamen inde, quæ forma doctrinæ olim fuerit, & quantum ejusmodi compendio fidei Christianæ, fuerit tributum. In hoc seculo *Gregor. Nazianzenus* libros quinque de *Theologia* & alios *Locos Communes* magna industria in rem Ecclesiæ elaboravit. *Ambrosius* librum de fide ad *Gratianum*



*Imperatorem* scripsit. *Epiphanius* Opus suum *Panarium* ejusque *ἀνακεφαλαιώσιν*, seu *Summam*, divulgavit, tanto cum Ecclesie applausu, ut in seq. seculo *Augustinus* compendium ex hoc libro fecerit, quod in *l. de Hæresibus ad Quod vult Deus T. VI. Opp.* ejus extat.

§. 6. *Quintum* seculum fulgore suo irradiavit *Augustinus* quò nemo felicius & contra hæreses præclarior ac copiosius pugnavit, & qui felicitate & ubertate ingenii & acumine judicii vix alium, sive ex Græcis, sive ex Latinis patribus parem habuit, ita magnis Viris censentibus. Hic, ut *Chemnitius* noster annotat, *Summam doctrinæ*, tanquam per articulos, in aliquot scriptis recensuit, & in certas classes præcipua capita fidei reduxit. Hinc in *Tom. III. Operum* ejus, præstat *Enchiridion ad Laurentium*, in quo semper ad manum & in promptu esse potest totum doctrinæ corpus, censente *Chemnitio. Liber de doctrina Christiana*, non semel tantum in usum Ecclesie, à magnis viris seorsim recensitus & editus, olim quidem *Witteberga* à *B. Gesnero*, hodiè *Helmestadii* à *Dn. D. Calixto*, qui *librum de fide & Symbolo* ejusdem patris addidit, & egregiam ac prolixam præfationem adauxit, in quâ *Summam* horum librorum proponit nervosè, & de Traditione Ecclesiastica, occasione *Vincen- tii Lerinensis* simul editi, eleganter differit. Insuper & *l. de Ecclesiasticis dogmatibus*, in eodem *Tomo* reperire licet, qui tanti olim æstimatus fuit, ut, annotante *Chemnitio*, in vetustis exemplaribus *Tertulliani, Lactantii* & similium, in prima fronte eum posuerint, & significaverint eo, quo judicio veterum scripta legi & secundum quam regulam incommodè dicta patrum intelligenda essent. *Cyrillus Alexandrinus*, in Oriente, *Expositionem Symboli Niceni* in hoc seculo edidit, in quâ potissima fidei capita ex Scripturæ Sacræ fontibus illustravit, quæque *T. II. Opp.* ejus extat. Ut ita ab initio Ecclesie usque ad sextum seculum nunquam Ecclesia caruerit Compendiis & locis communibus fidei Christianæ.

§. 7. Post seculum quintum, & quidem in Occidente post *Augustini*; in Oriente, post *Cyrilli* mortem, forma doctrinæ nutare cepit: & quamvis *Sextum* & *Septimum* seculum, non planè caruerint Doctoribus suis, sed istud *Fulgentium, Boethium* & *Gregorium*, quem *Magnum* vocant; Hoc verò *Isidorum Hispalensem* & *Hesychium* habuerit, tamen præter *Aurelium Cassiodorum Senato-*



*rem Romanum*, Institutionum lectionum divinarum editione clarum, non fuit, qui formæ & *ὑποτυπώτα* sanæ doctrinæ operam dedisset. Factum hinc est, ut in seculo *Octavo*, quando in Oriente *Johannes Damascenus* quatuor libros de *Orthodoxa fide* summâ diligentia scripserat, & universam Theologiam illis comprehenderat, jamjam cognosci cœperit & animadverti, quantum ab antiqua illâ puritate & simplicitate, forma doctrinæ trecentorum annorum spacio, degenerasset. Ut enim magnam hi libri meriti fuerint laudem, & etiam hodie in precio sint nostræ Ecclesiæ, ac propterea seorsim illos excudi curaverit in *Academia Marburgensi* *B. D. Mentzerus* 1602. in gratiam & usum Theologiæ Studiosorum; in illos verò commentatus fuerit *D. Pelargus* 1607. (dum adhuc noster erat, acerrimus propugnator doctrinæ nostræ contra Calvinianos,) à nostro tamen *Chemnitio* annotatum fuit ex illis id quod in extremum periculum puræ doctrinæ cessit. Nimirum 1. *curiose questiones* fuerunt motæ, & contra magis necessaria, neglectæ. 2. cogitationes *privatorum*, instar articulorum fidei æstimari & surrogari cœperunt. 3. *Scriptura S. testimonia* posthabita. 4. à *phrasi Scripturae* discessum, novi que loquendi modi inventi fuere, ut ita nec res, nec sermo horum librorum primitivæ Ecclesiæ faciem retulerit.

§. 8. Neque in sequentibus seculis, in *Nono*, quod in Oriente *Photius*, in Occidente & in *Germania nostra* *Rabanus*, *Strabus*, *Haymo* illustrarunt; in *Decimo*, quod planè sterile, Virorum doctorum fuit; in *Undecimo*, quod in Oriente *Theophylactum* & *Oecumenium*, in Occidente verò *Anselmum Cantuariensem* & *Anselmum Laudunensem*, *glossæ interlinearis*, quam vocant, in totam *Scripturam autorem*, habuit; melior habere cœpit forma doctrinæ: quinimò in *duodecimo* adhuc longius à fontibus *Israelis* discessum fuit, & non ex *Scriptura S.* sed ex *Patrum scriptis*, & quidem non genuinis tantum, sed etiam *spuriis & supposititiis*, & non ex hisce modò, sed etiam quibusvis *Episcoporum Romanorum* scriptis, primò *Gratianus Monachus familie Benedictinæ Bononiensis*, postea *Lombardus Parisiensis Episcopus* summam doctrinæ collegerunt; Et quidem ille *Canones ac decretum* consarcinavit, solusq; obtinuit ut in *Scholis* legeretur ac *commentariis* illustraretur: *hic verò*



quatuor libros sententiarum confecit, quibus omnem Theologiam complexus est, & *Magistri Sententiarum* nomen meruit apud suos ac reportavit.

§. 9. Non fuisse opinionem horum virorum malam, graviter censet noster *Chemnitius*, quod sic collapsam doctrinae puritatem, ad illam formam, quae patribus usitata fuerat, revocare allaboraverint, sed, ut idem monet, quia fontibus neglectis ad rivulos sese verterunt, infeliciter res haec cessit, & factum est, ut à veris doctrinae fundamentis aberrantes, sub praetextu antiquitatis & titulo Ecclesiae, universae progeniei *Canonistarum & Scholasticorum* & audaciae, quidvis sine Scriptura, tandem etiam contra Scripturam affirmandi, natales dederint, ac infelicissime fundamenta jecerint.

§. 10. In seculo XIII. enim tanta cum gloria, ut *Tribemius l. de scriptoribus* loquitur, *P. Lombardus* nomen suum scribendo ad posteros transmisit, ut usque in hodiernum diem Theologorum (Papistarum) Schola, ubique singulari veneratione *Magistrum* eum nominet & habeat. Qui enim in cœnobiis docebant, in eum cōmentari cœperunt, & unice in ejus enarrationem incubuerunt, quod praeter ceteris faciebant in hoc seculo *Alexander de Ales* natione Anglus, praceptor *Bonaventurae & Thomae*, *Albertus Suevus Episcopus Ratisbonensis* cognomento *Magnus*, ex quo *Albertista*: *Thomas Aquinas Italus* ex illustri familia oriundus ex quo *Thomista*: *Bonaventura*, natione *Italus Albanensis Episcopus & Cardinalis*, *Egidius Columna*: In XIV. seculo, *Johannes Duns Scotus*, cognomento *Doct̄or subtilis*, perpetuus ac primus impugnator *Thomae*, ex quo *Scotista*, *Petrus Aureolus*, *Antonius Andrea*, *Durandus de S. Portiano*, *Herveus Natalis*, *Franciscus Mayronis*, *Wilhelmus Occamus*, unde *Occamista*, *Petrus Paludanus*, *Thomas Argentinas*, *Gregorius Ariminensis*; In XV. seculo, *Johannes Capreolus*, *Petrus ab Aliaco Episcopus Cameracensis*, *Thomas Valdensis*, *Johannes Gerson Cancellarius Parisiensis*, *Gabriel Biel*, *Thomas de Vio Cajetanus*, *Franciscus Victoria*, *Dominicus à Soto* & plures alii, qui illos usque ad XVI. seculum secuti fuerunt, & *P. Lombardum* enarraverunt, ac in eum *Commentaria* scripserunt.

Quia



§. 11. Quin nec intra hos terminos Theologia Scholastica, ita κατ' ἐξοχὴν appellari cœpta, sese continuit, sed nonnulli ex jam denominatis, & alii præter illos, *proprias summas* condiderunt ab eo, quod universam Theologiam summam complecterentur, sic dictas; *Guilhelmus Antisiodorensis Episcopus, Robertus Sorbona*, qui Sorbonistarum Collegium Parisiis instituisse fertur, *Alexander de Ales Anglus, Ord. S. Francisci, Thomas Aquinas*, quos innumeri alii sequebantur, qui vel simile quid attentabant, vel in postremi, *Thomæ scil. summam* commentabantur; præ reliquis enim hujus *summa* in precio habita, ac digna æstimata fuit, quam Commentario illustrarent cæteri.

§. 12. Atque hæc facies fuit Theologiæ istis seculis; Misera nempe & extremè deploranda, ut *Petrus Bessaus Concionator Regius in Galliâ* ad eam non malè accommodaverit verba *Ps CXIX. Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua, Domine. Constituerunt Corpus doctrinæ*, inquit *Chemnitius* noster (pag. 27.) *nec ex Scripturâ, nec ex patribus, sed ex receptis & inveteratis erroribus & abusibus temporum suorum, & ex Philosophorum scriptis, ita ut in universum & formam doctrinæ & linguam Ecclesiæ mutaverint, fidesque captivata sit in obsequium rationis.* Et licet quorundam industria, etiam circa Scripturam periculum fecerit, hujusq; rei documentū ediderint *Hugo de S. Caro, Nicolaus Lyranus, Paulus Burgensis, Dionysius Carthusianus* commentariis suis in universa Biblia; *Albertus Magnus, Thomas, Bonaventura, Egypdius, Nicolaus de Gorran, Alphonsus Tostatus* in multos Scripturæ libros; plerique tamen in solâ vulgatâ versione hæserunt, & altiùs non ascenderunt, neq; potuerunt, quin imò pauci eorū fuerunt, si cum illis cōferantur, qui omnem operam suam, in *sententias Lombardi, Decretum Gratiani & Summam Thomæ* impendebant. Dogmata præterea tam Scripturæ, quàm antiquæ Ecclesiæ ignota, incrustabant, propagabant, & pessimè disciplinarum limites confundebant, non ex fundamentis scripturarum, sed Philosophicis rationibus maxima fidei mysteria æstimantes, ut Theologia, quam in Scholis tunc professi sunt, non fuerit aliud, quàm *damnata mixtura & confusio sapientiæ divinæ cum humana.*

§. 13. Postquam verò seculo XVI, divinâ gratiâ *B. Lutherus* c̄squa-



de squalore isto Scripturam sinceram protrahere, doctrinam Ecclesie ad solos fontes Scripturæ revocare & ratione tractandi Scripturam ac dogmata ad primitivæ Ecclesie leges reformare cœpit, de compendio reformatæ hujus doctrinæ etiam fuit prospectum, & Lutherus ad mandatum Herois fortissimi *Johannis Electoris Saxonie* (cujus exemplar in *Hist. A. C. ad 1530. p. 134.* habetur) *Septendecim articulos* cōscripsit, quibus breviter, & velut in *Synopsi* doctrinam suam complexus est, uti ex nostris *Cælestinus T. I. Hist. A. C. pag. 20.* id testatur, & ex Papistis *Ulenbergium de vita & rebus gestis Lutheri ad ann. 1530. p. 370.* habemus confidentem. Postmodum subsequuta est *August. Confess.* & nati sunt illi articuli, quos *Philippus Melanchthon* exordio & præfatione ad Cæsarem locupletavit, ac Augustæ in formam rededit, nō privato ausu ac studio, sed publicâ autoritate & præviâ Lutheri censurâ ac approbatione, quod tot verbis ipse *Sereniss. Elector in Epistola, Augustâ ad Lutherum die XI. Maji* scripsit, ejus copiam nobis facit *Cælestin. Hist. A. C. f. 40.*

§. 14. Et hæc ac non alio sensu, intelligenda sunt nostri *Chemnitii* verba, quando *pag. 28. Philippo Melanchthoni* tribuit, quod in *Augustana Confessione* ex diversis Lutheri scriptis, integrum corpus doctrinæ collegerit, continens summam omnium articulo- rum fidei, propriè & perspicuè explicatam. Neque enim his ver- bis faciem præfert aut pollicem premit *Calvinianis*, qui *Philippum Melanchthonem* Augustanæ Confessionis autorem, archite- ctum, fabrum, magistrum, compilatorem, &c. faciunt, & Philippi Confessionem appellant *Admonitores Neostadienses, Pareus in Iren. CXXIX. p. 293. Crocius, D. Francke in Stab der Wahrheit lit. E. 2. b. &c.* idque unice idè, ut sub autoritate Philippi aliis imponant & imperitis persuadeant, *Philippum Melanchthonem* sanctitate, scriptis ac doctrinâ vel vicisse, vel adæquasse Lutherum, sicque Philippus, prout quidem post obitum Lutheri deflexerit, ubique locum inveniat. Non hæc mens ac sententia *Chemnitii* est, qui ostendere saltem cupit, quid ratione *dispositionis & Elocu- tionis* ad August. Confessionem contulerit *Phil. Melanchthon*, & quàm idoneus Hyperas pistes ac parastata Lutheri sub initium re- formationis, & dum ipse Lutherus adhuc in vivis esset, fuerit; Atq;



Atque ita, nec primas, nec secundas, sed saltem tertias eidem tribuit.

§. 15. Non secius accipere licet commendationem, quam de *Locis Communibus Philippi* (non de *Corpore doctrinae*) instituit *Chemnitius* ibidem, & testimoniis tum *Lutheri ex prafat. T. I. opp.* tum *Papistæ Alphonsi Hispani*, communit. Nihil hic derogat *Luthero*, sed unice ac solum *Melanchthonem*, ut fidelem Collegam ac *σὺνεργον*, *Luthero* velut alterum *Aaronem Mosis* adjunctum, deprecatur & agnoscit; deque *Locis* iudicat, prout faciēs eorum apparebat tunc, quando *Lutherus* à latere erat *Philippo*, non attentis infirmitatibus, quibus post beatum *Lutheri* obitum indulgit *Philippus*, & non parum negotii *Ecclesiæ* repurgatæ fecit, sicut *Domini Theologi Witteberg. in refutatione Histor. Peuceriana 1597.* id prolixè ostendunt, & *Hutterus in A. C. ac F. C. prafat. in Concord. contra Hospinian. cap. XI. fol. 92. seqq.* & in prolegom, *Loc. Theolog. Affelmannus in disp. de Philippismo Rostochii 1619. habitâ, D. Johannes Mattheus Prof. Witteberg. in Duabus qq. de doctrina Philippi, Francofurti 1592. impressis, B. Lyserus in Epistola Dedicatoria T. I. Locor. Chemnitii.* satis id persequuntur.

§. 16. Ex omnibus hisce autem planum facit ac luculenter ostendit *Chemnitius*, *Ecclesiæ*, ab initio, usque ad hæc nostra tempora, eam fuisse curam, ut *Christianæ religionis* articuli à sacris literis in unum coagmentati corpus existerent.

§. 17. Et hæc ratio hodiè etiam in *Orthodoxa Ecclesia* à nostratibus diligenter observata fuit ad hæc usq; tempora, quod tot *Compendia*, tot *Institutiones*, tot *pleniores explicationes Locorum Theologicorum* nostri *Chemnitii, Hunniorum, Hutteri, Gesneri, Gerhardi, Theol. Lipsiensium, Vitteberg. & Giffensium* ac *Marpurg. Disputationes*, aliorumque innumerorum per Dei gratiam *Theologorum* labores laudatissimi, neminem ignorare sinunt. Ut frustra sit, ne gravius quid dicam, *Gregorius de Valentia*, quando *Tom. I. in Thom. Disp. I. q. 1. puncti 2.* *Luthero* ejusque successoribus ac parastatis tribuit, quòd improbant *methodicam docendi rationem*. Nimirum sub peplo *methodicè docendi rationis*, *Confusionem sapientiæ humanæ cum divina*, à *cœlestis doctrinæ vindicibus* explosam, involuit, ob quam *Theologia Scholastica* nomen



men malè jam olim audire cœpit, & quidem etiam apud homines Papistis non ingratos *Erasmus, Tritemium, Melchiorem Canum, Ludovicum Vivem, Autorem libri sub titulo Oneris Ecclesie*, qui censetur fuisse *Johannes Episcopus Chemensis, Archiepiscopo Salisburgensi à suffragiis*, aliosque innumeros, quibus ad salivam non fuit, quod subtilis Doctor *Scorus in l. III. sent. dist. 24. q. 1.* asserit; *Doctores Theologicos tandem Philosophiam cum Theologia, maximo cum fructu miscuisse.*

## CAP. II,

DE LOCORUM THEOLOGICORUM  
divisione.

I. Locorum Theologicorum distributio non uniformis est, sed variat multum apud autores.

§. 1. Ordo & Distributio locorum Theologicorum utilitatem suam habet in Ecclesiâ, sic enim integrum doctrinæ corpus tanto facilius animo complecti & mente circumferre possumus, ut p. 275. *Chemnic.* notavit, & quod p. 348. inculat, aliud est *methodus*: aliud *ἀφορισμοὶ*, quos græci vocant collectionem sententiarum, sine certa aliqua ratione ordinis vel coherentiæ.

§. 2. *Augustinus l. I, II. & III. de Doctrina Christiana*, Theologiam in *Res & signa* dividit, & duobus hisce omnia illa, quæ Theologiæ sunt, absolvi putat; si scil. sciatur, quas res populo Christiano exponere debeat Tractator, ut illo tēpore appellabatur, & unde istæ res earumque cognitio depromi debeant. *Res* distribuit in eas, quibus *fruendum*; eas quibus *utendum*, & eas, quibus *uti & frui* oporteat. *Priores res finis* sunt, & quidem *ultimus*; *Secundæ sunt media*; *Tertiæ sunt subjectum*, sicuti c. 22. l. 1. p. 34. exponit mentem suam. *Signa* subdividit in *naturalia & data* c. I. l. 2. p. 46.

§. 3. Non verò simpliciter distinctionem hanc rejicit *Chemnicus*, sed obscuriorē saltem eam vocat. Nam facilimo labore ad *analyticum ordinē*, ubi à fine & subjecto progressu fit ad media, ea ac comodari potest, qui Theologiæ maximè conveniens est, uti censuit *B. Præceptor noster B. D. Höpfnerus*, & in ea vestigia pressit sui  
Præ;



Præceptoris acutissimi Dni Neldelii, qui in accurato & omni commendatione superiore scripto, de *Usu Organi Aristotelici* part. VI. c. 2. p. 639. seqq. hæc exponit egregiè.

§. 4. Etsi enim neminem lateat, Theologos unò ordine in concinnandis Theologiæ sacræ compendiis non incedere, quando tamen Chemnitius p. 30. commodiorem divisionem vocat illam, quâ distinguitur Theologia in cognitionem Dei & hominis, & ad eam omnia, quæ in Theologia tractantur, commodè reduci posse addit, non obscure eo ipso ad analyticum ordinem Theologiam inflectit: unde etiam Subiectum seu Objectum Theologiæ non solum Deum, sed etiam hominem statuit, & quidem cum expresso hoc περὸς διορισμῶν, prout uterque cognoscitur; prior scilicet ut Beatitudo summa, lex quo omnis salus est: alter verò ut miser est, & cui salus per Christum à Deo reparabilis facta, quiq; justificari, renovari & salvari debet; de quo ordine prolixè Beatus noster Præceptor Dn. D. Meisnerus Diss. X. præcogn. Theol. imprimis verò part. III. Philos. Sobr. sect. I. c. 2. q. 1. pag. 134. ad 206. legi potest.

## II. Distributio à principalibus capitibus sumpta, omnium convenientissima est.

§. 1. Ita Chemnitius p. 30. censet, ac notitiam Dei & hominis hoc nomine allegat, quod in Theologico systemate ad illa duo respiciatur, quomodo scil. Deus salutariter cognosci ac coli debeat; Homo verò miser, à peccato liberari, justificari ac salvari.

§. 2. Rectè enim monet Neldelius l. all. pag. 639. Arduum ac difficultatis plenum esse de hujus Disciplina (Theologiæ) ordine quicquam statuerè, cum præsertim alii atq; alii scriptores pro arbitrio sibi ordinem comminiscantur, qui suo non valde incommodus instituto videatur. Et concludit: Itaque unum duntaxat hîc potissimum dispiciendum est, quænam sint κριώτατα κεφάλαια, id est, maximè principalia capita seu Articuli, quos præcipuè intueri debent ii, qui ad hoc augustum studium accessuri sunt, & in iisdem κεφαλαίοις accuratè cognoscendis plurimum opera, laboris ac studii ponere.

## III. Et quidem cognoscendus Deus in Theologia sistitur, ratione suæ: 1. Essentiæ, 2. Voluntatis, & 3. Operationis.

§. 1. Non enim ita Theologia de Deo agit, ut exponat tantum quid sit Deus, quid ejus natura & proprietates, sed etiã quæ ipsius erga nos Vo-

lunt;



*luntas, quæ beneficia tum in relatione ad creaturã, quã creatura est, tum in relatione ad miseriam ejus & liberatione per Christum, quid nobis fecerit, quomodo apprehendi ac item coli à nobis velit, & quæ præmia suis cultoribus, quasque pœnas suis contemtoribus destinaverit, longe lateque explicat.*

§. 2. Et non nudè ad *contemplandum* hæc nobis objicit Theologia, sed maxime ideò, ut etiam *affectu* ea apprehendamus devoteque veneremur, ac per istam notitiam non tantum is, qui Theologiam tractat, sed etiam alii, qui ipsum audiunt, salutis æternæ participes fiant.

§. 3. Unde Theologia rectè *practica* appellatur non tantum ideò, quia *Prædicis Disciplinis* accenseretur, sed etiam, quòd notitia hæc non in *nuda Jeopis* versari terminarique debeat, & excedere ad devotam Dei venerationem ac cultum, id quod etiam noster *Chemnitius* p. 39. satis explicat. *Verè dictum est, inquit, Theologiam magis in affectu, quàm in cognitione consistere. Unde Deus in sua lingua sub uno vocabulo cõprehendit & notitiã & affectu, qui notitiã sequuntur.*

IV. Homo etiam in Theologia cognoscendus sistitur, non tam ratione *Essentiæ* suæ, quàm ratione tum *Status* sui, tum etiã *finis* sui.

§. 1. Hominis *Status* quadruplex est: unus ante lapsum, qui *integritatis* status appellatur; alter post lapsum, qui *corruptionis*; tertius post lapsum, & est *regenerationis*; ultimus post regenerationem, & est *glorificationis*, uti in *schemate* secundo *Chemnitius* noster p. 31. hoc explicat.

§. 2. In his statibus non tanquam in nuda idea hominem considerat Theologia, sed prout instaurari eidem salus, & ille justificari ac salvari debet, atque ita semper *finis in simul* involvatur. Neque enim de hisce in Theologia propter eã cognoscitur, ut tantum sciatur, quis olim fuerit homo, quis nunc sit, & quis aliquando futurus, sed ut ex miseria liberetur & salvetur.

V. Totum systema *Locorum*, à *Chemnitio* juxta ordinem à *Philippo* in *Locis Communibus* observatum, enarratorum & explicatorum, *tribus tomis* seu partibus absolvitur.

§. 1. Tomus PRIMUS continet *Locos* Novem: I. de *Dei notitia, Essentiã & attributis*, p. 40. II. de *Dei Trinitate* p. 72. III. de *Deo Patre* p. 106. 67. IV. de *Deo Filio* p. 112. V. de *Deo Spiritu S.* p. 217. VI. de *Creatione* p. 268. VII. de *causa peccati* p. 338. VIII. de *libero arbitrio* p. 426. IX. de *peccato* p. 521. seqq.

§. 2. Tomus SECUNDUS complectitur *Locos* quinq; I. de *Lege Dei*. II. de *discrimine Præceptorum & Consiliorum* III. de *tribus consiliis, vindicta* p. 311 *paupertate* p. 360. & *Castitate* p. 465. IV. de *Evangelio* p. 549. V. de *Justificatione*. p. 591.


§. 3. Tomus TERTIUS habet *Locos* octo: I. de *Bonis Operibus* p. 1. eorumque *necessitate* p. 11. VI. de *discrimine V. & N. T.* III. de *discrimine peccati mortalis & venialis* p. 241. IV. de *Eclesia* p. 278. VII. de *Sacramentis* p. 371. VI. de *Baptismo* p. 30. VII. de *Cœna Domini* p. 392. VIII. de *Conjugio*, p. 491. seqq.




AB 42  $\frac{3}{i,9}$

VO 17









B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

I. N. J. A.

PRODUCTIONIS AD LOCOS  
Theolog. B. Chemnitii,  
*DISPUTATIO I.*  
Ex quâ  
*De*  
ORDINUM THEOLOGICORUM  
ANTIQUITATE  
ET ORDINE,  
*Præsidente*  
BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.  
Magist. Publico & ad D. Thomæ  
Ecclesiastæ;  
*Respondente*  
FREDERICO ANDREÆ Hebergô Misnico,  
& Ecclesiæ Bornensis Diacono  
designato;  
XXIX. Decemb. Anni 1647.  
*disputabitur.*

---

LIPSIAE,  
Typis HENNINGI COLERI.

